

Petrus de Vinea

Ep. I 31 (In exordio nascentis mundi...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. I 31 (In exordio nascentis mundi...)

estate 1239

Vniversis prelatiſ, ut compescant papam a ſuis illicitiſ moribꝯ.

1. In exordio nascentiſ mundi, prouida et ineffabilis Dei ſapientia, cui conſilia non communicant aliena, in firmamento celi duo ſtatuit luminaria, maiuſ et minuſ: maiuſ, ut preeſſet diei; minuſ, ut preeſſet nocti. 2. Quae duo ſic ad propria officia in regione Zodiaca efferrentur, etſi ſe multotiens ex obliquo reſpiciant, quod unum alterum non offendit, immo, quod eſt ſuperiuſ, inferiori ſuam communicat claritatem. 3. A ſimili, eadem eterna prouiſio in firmamento terrae duo uoluit ineſſe regimina, ſacerdotiuſ uidelicet et Imperiuſ, unum ad cautelam, reliquum ad tutelam: ut homo, qui erat in duobꝯ componentibꝯ diutiuſ diſſolutuſ, duobꝯ reticulis frenaretur, et ſic fieret pax orbi terrae, hominuſ exceſſibꝯ limitatiſ. 4. Sed ſedens in cathedra peruerſi dogmatiſ, Phariſeuſ unctuſ oleo nequitiae, prae participibꝯ ſuiſ, noſtri temporis Romanuſ pontifex, quod de celeſtiſ ordinis emulatione deſcendit, euacuare nititur. 5. Et credens forte cum ſuperioribꝯ conuenire, quae natura non uoluntate ducuntur, noſtrae maietaſtiſ iubar intendit ducere in eclipsim, dum, ueritate in fabulam commutata, plenae mendaciis ad diuerſaſ mundi parteſ papaleſ mittuntur epistolae, de complexione non de ratione accuſanteſ noſtrae fidei puritatem. 6. Scripſit enim ſuo nomine papa, noſ beſtiam aſcendentem de mari, plenam nominibꝯ blaſphemiae, pardique uarietatiſ circumſcriptam. 7. Et noſ ipſum beluam illam aſſerimuſ, de qua legitur: Et exiuit aliuſ equuſ rufuſ de mari, et qui ſedebat ſuper ipſum, ſumebat pacem de terra, ut uiuentēſ inuicem ſe interficiant. 8. Nam a ſuae promotioniſ tempore iſte pater non miſericordiarum ſed

discordiarum, desolationis et non consolationis sollicitus procurator, totum mundum ad scandala excitauit. 9. Et ut uerba sua recto sensu interpretemur, ipse, draco magnus, qui seduxit universum orbem, Antichristus est, cuius nos dixit esse preambulum, et alter Balaam, conductus suo pretio, ut malediceret nobis, princeps per principes tenebrarum, qui abusi sunt prophetiis.

10. Hic est angelus prosiliens de abyssu, habens phialas plenas amaritudine, ut mari et terrae noceat. 11. Inseruit etiam falsus Christi uicarius fabulis suis, nos Christianae fidei religionem recte non colere, ac dixisse tribus barattatoribus mundum esse deceptum: quod absit de nostris labiis processisse, cum manifeste fateamur unicum Dei Filium, coeternum et coequalem Patri ac Spiritui Sancto, dominum nostrum Iesum Christum, ab initio et ante secula genitum; processu temporis missum in terris in subsidium generationis humanae, non de potentia ordinata sed de potentia ordinante; qui est de gloriosa Virgine matre natus, passus postmodum, et mortuus secundum carnem et alteram naturam, quam assumpsit in utero matris; uirtute deitatis a morte post triduum resurrexisse. 12. Machometi uero corpus in aere pendere didicimus, obsessum demonibus, animam inferni cruciatibus deditam, cuius opera tenebrosa fuerunt, et contra legem Excelsi. 13. Moysen uero, amicum Dei et familiarem, Vera docente Pagina, fuisse tenemus: in monte Synai cum ipso tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit: per quem signa et miracula fecit in Egypto, et Hebraico populo lex tradita declarat, ipsum postmodum uocatum ad gloriam cum electis. 14. In hiis et aliis accusator noster et emulus, ponens aduersus filium matris Ecclesiae scandalum,

contra nos mendaces et uentosas notas mundo inscripsit. 15. Sed si rectitudo sensus Apostolici non fuisset intrinsecus impedita, nec preposuisset impetum rationi, qui dominatur in ipso, talia non scripsisset, nec ad suggestionem illorum, qui tenent lucem tenebras et dicunt malum bonum, qui suspicantur mel esse fel, per locum ab opinione; qui est debilis et infirmus, cum uero esse falsum cum non esse conuertatur, et opinio sit indifferens ad utrumque, uno gradu distans a fide, in huiusmodi papalis conscientiae ostium infringi minime debuisse. 16. Super quibus omnibus uehementer cogimur admirari, et nostrae mentis quietem multa uexat turbatio, quod uos, qui estis Ecclesiae fundamenta, columpnae, rectitudinis assessores, Petri urbis senatores et orbis cardines, non flexistis motum iudicis fulminantis, quemadmodum superiores planetae faciunt, qui ad retardandam magni corporis uelocitatem contrariis motibus opponuntur. 17. Reuera imperialis felicitas papali semper impugnatur inuidia. 18. Unde interrogatus Simonides, cur inuidos non haberet, respondit, quia nichil feliciter gessit. 19. Et quia prospera nobis, Deo benedicto, succedunt, presertim quia Lombardos rebelles nostros ad mortem prosequimur, quos ipse predestinauit ad uitam: haec est causa, quare nominatus ipse pontifex Apostolicus ingemiscit, et utinam non de consilio uestro felicitati nostrae instituerit obuiare! 20. Verum de potestate ligandi atque soluendi forte ipse dominus gloriatur et pungit; sed ubi uirtus deficit potestatis, ibi deseruit uel abusus: hoc in eo intelligitur, qui regiae potestatis magnus princeps, eximius prophetarum, restitutionem petebat spiritus principalis, quia polluerat officii dignitatem. 21. Sed secundum quod indissolubilia non soluuntur, ita

et inintelligibilia non leguntur; quod ex eo manifeste probatur, quia Sacra Scriptura instruit, mortificant animas, quae non moriuntur, et uiuificant, quae non uiuunt. 22. Potest ergo, quae non sunt digna potentiae, quantum et quando: nam, cum Deus omnia possit, est aliquid, quod non potest.

23. Sane, si uerus esset pontifex, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus haberetur, non iurgiorum uictimae, sed hostiarum pacificarum pacificus immolator; et poneret incensum odoris, non doloris; nec pontificium in maleficio commutaret; si uerus esset pontifex, semen predicationis non turgeret in fructum dissensionis. 24. Nec ex hoc accusabimur hostis Ecclesiae matris nostrae, quae sancta est in genere suo, quam cum reuerentia colimus et amplectimur cum honore, diuinis sacramentis ornatam. 25. Personas autem singulares et corruptioni subiectas a medio recedentes penitus reprobamus: et quia iniuriae non sunt transitoriae, quae nostrae maiestati iugiter inferuntur, et animum super hiis non lenire possumus, nec debemus nostram potentiam undique relaxare, cogimur ad uindictas. 26. Vos ergo, qui estis uiri ad saniora consilia constituti, sensus et rationis excellentiam obtinentes, rugientem aduersarium nostrum a processu, cuius detestabile fuit initium, penitus reuocetis, rerum consequentias ex causis precedentibus attendentes. 27. Alioquin utraque terra sentiet, qualiter in persecutorem ac consequentes principes et fautores procedat Augustus, et qualiter ferro Cesareas inferat ultiones!